



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

8 De obseruationibus quibusdam S. Patrum ad rectè meditandum in
Scripturis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

multos ad cœlum transmisisse. Denique S. HIERONYMVS annotauit. Sicut sal in se sapidum est, omnemque cibum inspidum sapidum reddit, sic de verbo Dei sentendum esse iuxta illud Psalmi. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo.* Ecce vides, quam multos variosque conceptus S. Patres ex metaphora salis hauserint, vt intelligas idem posse fieri ex reliquis.

Psal. 118.

De sententiis quibusdam S. Patrum ad rectè meditandum in scripturis.

CAPVT VII.

QVONIAM sequentia documenta haurienda sunt ex variis S. Patrum sententiis, vt dilucidior sit tractatio, primo dogmata eorum recensebo, deinde in altero capite documenta vel instructiones.

S. GREGORIUS Nyssenus de gen. hom. Graue, inquit, nefas est, dicere, in scriptura Verbum aliquod redundare.

S. GREG. Nazianzenus in Apolog. non contentus hac monitione, addit. *Neque nobis in mentem veniat existimare, ea temere litterarum monumentis commendata fuisse, &c. At nos, qui exquisitâ spiritus doctrinam vel usque ad leuissimum apicem & lineam trahimus,*

himus, nunquam (nec enim fas est) ne minimas quidem actiones ab iis, à quibus memoria prodita sunt, temerè præscriptas & elaboratas memoriæq; ad hæc & q; tempora conseruatas esse fatebimur.

S. IOAN. Chrysoft. quoq; hom. 18 in Genesin. Nihil temere, ait, aut fortuito loquitur diuina scriptura: sed & syllaba, & apiculus reconditum habet thesaurum.

ORIGENES item homilia 9. in Ezech. Obseruandus, inquit, est diligenter omnis scriptura sermo, ordo, iunctura.

S. BERNARDVS sermone primo considerans cur B. Lucas tot nomina propria, vt Gabrielis, Mariæ, Ioseph, Galilææ, & Nazareth, in mysterio incarnationis explicando, recenseat, ita scribit. Putasne aliquid horum superuacue positum sit? nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa: nec vnus ex passeribus sine Patre cœlesti cadit super terram: putem ego de ore sancti Euangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sacra historia Verbi: non puto, plena quippe sunt omnia supernis mysteriis.

De